



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 2. Mazarinus Cardinalis primus Franciæ Minister armatus Parisios
reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

fiæ, qui jam anno hujus sæculi trigesimo ejurata, in qua enutritus erat, hæresi ad Cæsaris preces hoc anno in Cardinalem Diaconum tit. S. Mariæ Novæ, & postmodum S. Cæsarei, ac denique Sancti Nicolai renuntiabatur, X. Carolus Barberinus Cardinalis Diaconus tit. S. Cæsarii, & postea S. Angeli in foro piscium. XI. Dominicus Pimentellus ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Cardinalis Presbyter tit. S. Sylvestri.

Sæc. XVII.
A. C. 1652.

§. II.

Mazarinus Cardinalis primus Franciæ Minister armatus Parisios reversus.

Postquam Julius Mazarinus Cardinalis a Rege, ejusque Matre ad Aulam reverti jussus erat, hic cum valido agmine Ductoribus Hocquincurtio, & Grancæio Marecallis, pluribusque aliis Proceribus Ræteliam Mense Januario pervenit: Vix Parlamentum Parisiense illius adventum compererat, cum illico duos Senatores unacum quibusdam copiis raptim collectis Monasteriolum emitteret, ut Cardinalem fluminis trajectu prohiberent: Prævalebant tamen Regii, captoque ex Senatoribus uno, & dissipatis ceteris Parlamenti militibus

Mem. du
Card. Retz
t. 3. p. 43.
Hode Hist.
de Louis
XIV. l. 13.
pag. 128.

A 2 bus

Sæc. XVII. bus Mazarinus Pictavium, ubi tum
A. C. 1652. Aula agebat, die vigesima nona Janua-
rii secundis avibus advenit, ipsa Regi-
na ac Rege eidem obviam euntibus;
quo comperto Parlamentum non modo
sanguinarium suum decretum contra
Cardinalem confirmavit, sed accitis e-
tiam in seditionis societatem ceteris
Regni Parlamentis Hocquincurtium,
ejusque posteros læsæ Majestatis reos
declarare constituit. Suffragabantur
eidem Aurelianensis Dux, & Condæus
Princeps, qui inito inter se foedere Ma-
zarinum armata vi Regno expellere de-
creverunt: Primus igitur Condæus Hi-
spanis copiis auctus, in Aquitaniam
irrupit, civilis incendii flammam ad
ipsa quoque Franciæ præcordia propa-
gaturus: mox autem Harcurtius Mare-
scallus illum cum selecto milite adoritur,
eumque fugienti, quam pugnanti simi-
liorem presso pede insequitur; usque
adeo enim Heroem illum antea victo-
riarum fama clarum jam sui dissimilem
reddiderant & militis sui ignavia, &
caussæ iniquitas. Nec magis prospero
armorum successu pugnabat Rohanius
Dux Andium Pro - Rex. qui quidem
Andegavensem urbem, illamque Re-
gionem in Condæi partes flectebat, mox
tamen ab Hocquincurtio non sine ma-
gna clade repulsus, hanc civitatem de-
dere

dere cogebatur; pari etiam fato per Na-
 vallium Marchionem Urbs Pons - Cæ-
 faris dicta in Regis potestatem redacta
 est, præfidiariis Regis clementiæ sese
 dedere compulsis: Favebat adhuc Au-
 relianensi Duci, uti in seditiosis tumulti-
 bus fieri amat, fortuna primis expedi-
 tionis auspiciis ad montem Argium;
 hic enim ductoribus Nemursio, & Bel-
 lefortio plures recuperabat urbes, at-
 que etiam copiis suis circa Gergolium
 oppidum dispositis, ipsum Regem, Re-
 ginam, totamque Aulam captos ab-
 duxisset, nisi Turrenius Marefcallus col-
 lectis nonnisi trecentis peditibus, iisque
 plumbo & pulvere destitutis accurrens,
 potius nominis sui fama, quam armo-
 rum violentia seditiosos in fugam egis-
 set: Ita non raro generosi Belliducis
 nomen, & auctoritas ad comprimendos
 potentiores hostes plurimum valet:
 Parta autem hac victoria Turrenius
 ipsum Condæi exercitum prope Stam-
 pam urbem aggressus, cæsis plusquam
 mille, captisque quamplurimis rebelles
 usque ad suburbium sancti Antonii stre-
 nue insecutus est, ibidemque prælio a
 summo mane ad seram vesperam pro-
 tracto totum exercitum ad internecio-
 nem delevit, & Condæum captum
 abstraxisset, nisi Montpenseria No-
 bilis Virgo illum cum suis copiis a-
 perta

Sæc. XVII
 A. C. 1652.

A 3

Sæc. XVII. porta Urbis porta excepisset: Sub idem
A. C. 1652. tempus Carolus Lotharingiæ Dux quasi
 belli arbiter in Franciam venit, prohibuitque, ne rebelles omnino attererentur, proin ipsius adventu civile hoc bellum magis reparatum, quam sublatum est. Postquam vero instigantibus, ut creditum est, Principibus factiosis plurimi cives cordatiores, qui ex omnibus Ordinibus in civitate, *quam Domum Urbanam vocant*, de opportunis urbem a belli calamitatibus præservandi mediis deliberaturi convenerant, pugionibus, sclopis & fustibus inermes mactati fuerant. Criminis atrocitate commoti Proceres, Parlamenti Præsides, Senatores aliique quamplurimi relictis Principum studiis passim, occulte tamen, ad Regis obsequium revertebantur, ceteris ob metum, quem Principes rebellis Parlamenti patrocínio freti incusserant, adhuc hostilia molientibus, & Parisiensi plebecula novos motus suscitante. Hunc ipsum tamen timorem penitus discussit clementia Regis; hic enim, postquam Parisinos Legatos omni benevolentia excepit, ac rursus Cardinalem Mazarinum die decima nona Augusti ex Aula Sedanum secedere iussit, Parlamento, quod Pontæsiæ erat translatum, Parisios revocato, cunctis subditis plenam præteritorum veniam indulgit, demum
 vero

vero die vigesima prima Octobris Lutetiam Parisiorum ingressus, non sine incredibilis gaudii significatione exceptus est. Substitit adhuc in urbe Aurelianensis Dux, qui tamen inde Lemovicum, ejus vero Filia Montpenseria Blefum maturius, quam eorum dignitas, natalesque postulassent, discedere jubebantur: parem quoque sortem subiere ex Senatoribus, decem ceteris obstinatioribus, præter hos Brussellus & Thuanus, necnon Bellefortius, Rupifocaldus, & Rohanus Duces, aliique Nobiles Parisios excedere compulsi sunt: Condæus interea, quamvis Lotharingi Ducis copiis auctus Turrenio superior esset, hunc tamen aggredi minime ausus, non nisi proclama affixit, quo populum ad insectandum Mazarinum concitans, vindictam, ac dirissima quæque minitabatur; verum a Turrenio Lucenburgum repulsus est, ammissisque omnibus, quas ceperat, urbibus, tandem in Belgium unacum Hispanis secessit, ne vero solus & egens, sed cum aliqua Franciæ parte accessisse videretur, Rethelium, & oppidum sanctæ Manehildis, quas urbes adhuc sibi addictas tenebat, ad Hispanos transtulit. Ita demum civiles hi tumultus exiguo tempore sedati fuere, indeque patuit, in Francia res turbari facile, facilius con-

Sæc. XVII.
A. C. 1652.

A 4

quie-

Sæc. XVII. quiescere, & plerumque istic motus
A. C. 1652. quamcunque in partem incubuerint, non
 esse diuturnos, præcipue, quando pri-
 mus tumultuantium impetus constanti
 animo retunditur.

§. III.

*Gondius seu Radefus Cardinalis Re-
 gis jussu captus, & Vincennas
 abstractus.*

*Priet. Hist.
 mund. ad
 An. 1652.
 Daniel Hist.
 de France
 tom. IO.*

Interea Hispani ex civilibus hisce dissi-
 diis plurimum contra Gallos in Ca-
 talonia profecere; hos enim capta Bar-
 cinonensi urbe ex universa ferme Pro-
 vincia expulerunt, necnon Gerundam,
 Palamosium, pluresque alias civitates
 pristino suo Regi vindicarunt: nec mi-
 nus luculenta ignaviæ, levitatisque mo-
 nimenta Galli in Italia & Flandria de-
 fixere; paucos enim intra Menses præ-
 ter Casalin urbem Mantuano Duci red-
 ditam, insuper Dunckerkam, & Gra-
 velingam Hispanis cedere coacti sunt:
 Tot damnorum culpa non infima cre-
 debatur Paulus Franciscus Gondius,
 vulgo dictus Cardinalis Radefus, antea
 Corinthiacus, postea Parisiensis Archi-
 episcopus, qui inter Regis & Princi-
 pum dissidia medias partes tenere simu-
 lans, utriusque partis favore Cardina-
 lis creabatur, & Franciæ tumultibus,
 quos